

Successerunt *Baldinus*, *Contius*, *Matthaeus*, *Faber*, *Vissembachius*, *Bachovius* et alii, qui, velut quadam conspiratione facta, consurrexerunt, et Iustiniano reliquisque iuris compilatoribus ignorantiam, imprudentiam et socordiam obiecerunt. Quos non parum in instituto suo confirmavit *Alemannus*, editis anno 1624. *Procopii*, scriptoris eiusdem cum Iustiniano seculi, *Anecd. tis*, quibus atrocissima quaeque in Iustinianum, uxorem et ministros eius congerebantur. Refrixit quidem postea aliquantulum hoc maledicendi studium, ut inde magis recalesceret. Et recaluit certe, adeo, ut pro ingenioso ferre non habeatur hodie, qui non novos defectus et errores in iure civili detegat, eosque Iustiniano cum insultatione exprobret.

XX. Sed difficile tamen est et anceps cum his Iustiniani obtrectatoribus certamen. Quocunque te vertas, ab utraque parte periculum et praecipicum videas. Si perfecta omnia, si accurata, si methodum exquisitam, nihil contrarium, nihil inutile in iure civili statuamus, non immerito nobis obiiciat *Ant. Matthaeus* *Dis. 4. fund. iur. n. 81*. *An sic nobis blandiri decet, ac si peccare aliorum sit, ICtorum nequaquam? Itane artem nostram supra alias efferre licet, ac si nihil vitii contineat?* *An Deos efficies, qui errare ne sciverint, quos Deus homines nasci voluit?* *An visita: Omnis homo mendax, praeter ICtos?* Contra, si, depositis armis, nostri ditionem faciamus, si voluntarie iugum subeamus, si fateamur, magnam fuisse Iustiniani in componendis iuris libris oscitantiam, si ordinem insulsum, rationes frivolas, confusa omnia admittamus; tum vero

*Turpe quidem contendere erat, sed cedere visum
Turpius.*

Amittemus omnem, quam conservavit huc usque ordo noster, dignitatem, et artem indignam nobis videbimus profiteri.